

Extrait du manuel de latin 1<sup>ère</sup> Hatier Les Belles Lettres (p. 90-91)

**TÉRENCE** *L'Eunuque*, Acte I, scène 2, vers 174-206 : « La courtisane »

*Le dialogue en vers n'est pas disposé comme il est écrit dans le manuel.*

**THAIS** : Potius quam te inimicum habeam, faciam ut jusseris.

**PHAEDRIA** : Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres :

« Potius quam te inimicum habeam ! » Si istuc crederem

Sincere dici, quidvis possem perpeti.

**PARMENO** : Labascit victus uno verbo quam cito !

**THAIS** : Ego non ex animo misera dico ? Quam joco

Rem voluisti a me tandem quin perfeceris ?

Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduom

Saltem ut concedas solum ?

**PHAEDRIA** : Siquidem biduom ;

Verum ne fiant isti viginti dies !

**THAIS** : Profecto non plus biduom, aut ...

**PHAEDRIA** : « Aut » nihil moror !

**THAIS** : Non fiet : hoc modo sine te exorem.

**PHAEDRIA** : Scilicet

Faciundumst, quod vis.

**THAIS** : Merito te amo, bene facis.

**PHAEDRIA** : Rus ibo ; ibi hoc me macerabo biduom ;

Ita facere certumst ; mos gerundust Thaidi.

Tu, Parmeno, huc fac illi adducantur.

**PARMENO** : Maxume.

**PHAEDRIA** : In hoc biduom, Thais, vale !

**THAIS** : Mi Phaedria,

Et tu ! Numquid vis aliud ?

**PHAEDRIA** : Egone quid velim ?

Cum milite isto praesens absens ut sies ;

Dies noctesque me ames ; me desideres,

Me somnies, me exspectes, de me cogites.

Me speres, me te oblectes, mecum tota sis ;

Meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuos.

**THAIS** : Me miseram, forsitan hic mihi parvom habeat fidem

Atque ex aliarum ingeniis nunc me iudicet.

Ego pol, quae mihi sum conscia, hoc certo scio

Neque me finxisse falsi quicquam neque meo

Cordi esse quemquam cariorem hoc Phaedria ;

Et quicquid hujus feci, causa virginis

Feci ; nam me ejus spero fratrem propemodum

Jam repperisse, adolescentem adeo nobilem ;

Et is hodie venturum ad me constituit domum.

Concedam hinc intro atque exspectabo dum venit.